cio habes duo jam rectangula in M. scilicet P M Z, & S M Z. quæ & perpendicularem Z M, & angulos verticales P Z M, & S Z M, aut, si libet, ipsum P Z S, patefaciunt (per nonam cap. 4, & octavam cap. 5 hujus.) Sed his omissis ad quæsitos basis angulos Z P S, & Z S P, redeamus. Casus P M, 26, 26′, 29″. jam acquisiti differentialem 6985518 (per 9, cap. 4,) adde ad differentialem complementi P Z, scilicet ad differentialem 56, qui est — 3937709, provenient + 3047809 Logarithmus complementi anguli Z P S, quod complementum est 47. 36′. 1″. similiter casus S M, 42, 33′, 31″, jam etiam acquisiti differentialem 853239 (per eandem nonam sect.) adde ad differentialem complementi P Z, scilicet ad differentialem 43 gr. qui est 698698, provenient + 1551937 Logarithmus complementi anguli Z S P, quod complementum est 58. 53′. 55″. Memor autem hic sis non ipsas partes P Z. 34. & Z P S, aut P Z 47. & Z S P, sed sua complementa, viz. 56 gr. & 47. 36′. 1″. & 43 gr. & 58. 53′. 55″. circulares partes hic dici per secundam cap. 4. hujus. Verus itaque angulus quæsitus Z P S est 42. 21. 59″. & Z S P est 31. 6′. 5″. ut etiam ex sect. octava, cap. 5. hujus patet.

Aliud ejusdem trianguli exemplum.

EOdem triangulo P. Z. S. alio situ constituto, sit S. Z. basis, & datis lateribus ut suprà, quæratur angulus P. Z. S. Crurum itaque S. P. 69. & P Z. 34. semi-aggregatum est 51. 36, ejusque differentialis — 2288650: semi-differentia verò est 17. 36, ejusque differentialis est + 11542341. Quos differentiales adde erit summa + 9253691. à qua auser differentialem dimidii basis S Z. videlicet differentialem 23. 36. qui est 8328403, remanebit 925288 differentialis arcus 42. 21. 11. pro semi-basi alterna. Adde ergo semi-bases 42. 21. 11 & 23. 36.



23. 36. provenient 65. 51. 11. pro majore casu S T, & tum substrahe 23. 36. à 42. 21. 11, remanent 18. 51. 11. pro minore casu T X, vel T Z. Hujus ergo differentialem + 10745201, adde ad differentialem complem. Z P, scilicet ad differentialem grad. 56, qui est — 3937709, & provenient inde + 6807492 Logarithmus complementi anguli P Z T. Arcus autem in tabula respondens huic Logarithmo 6807492 ex adverso, est graduum 59. 35′. 11. pro angulo P Z T, cujus anguli P Z T, quum angulus quæsitus P Z S, sit ad semi-circulum reliquus (quod semper occurrit quum basis alterna est major vera) erit necesse P Z S. esse graduum 120. 24. min. 49. sect. alioquin si basis vera alternam superaverit, coincident anguli P Z T, & P Z S, & æquales erunt.

Admonitio.

TRes jam habes veros modos inveniendi angulos ex datis lateribus, quorum unoquoque tres variæ solvuntur hujus, & cujusque trianguli quæstiones. Ex datis enim elevatione poli, altitudine solis, & declinatione solis, dubitantibus satisfit ad quæstionem qua vel plaga solis, vel secundò angulus situs & positionis solis, vel tertiò hora diei quæritur.

Huc usque ex lateribus invenimus angulos. Superest ex angulis invenire latera.

II. *In omni triangulo sphærico mutari possunt latera in angulos, & anguli in latera: assumptis tamen prius pro unico quovis angulo, & suo subtendente latere suis ad semicirculum reliquis.*

Exempli gratia.

Esto triangulum Q R T, cujus sint anguli Q 47. R 111. & T 34. Sumamus primò pro angulo quovis, videlicet pro R 111. suum ad semicirculum reliquum, quod est 69 grad. Dico hos angulos 47. 69. & 34. mutari posse in latera, & fiet superius